



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

338. Quænam Collationes comprehendantur sub hacregula, dum ait: quòd quacunq̃e autoritate conferatur beneficium, Collatio est nulla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

lam. §. *affinitatis. Instit. de nupt.* Hanc sententiam tenent Paris. *loc. cit.* à n. 15. citans Sarn. *hic q.* 19. Mandos. *q.* 12. Rebuff. *in pr. hic gl.* 4. Chok. *n.* 24. dicens, illam tradi ab omnibus (subintellige, dum beneficia permutata sunt inæqualia) Tond. *cit. n.* 6. (qui tamen *n.* 4. testatur, contrarium esse in Gallia, ubi resignationes hæ permutationis gratiã factæ, & collationes Ordinariorum vigore resignationum talium mutuarum coram illis factarum per infirmos eximantur ab observatione hujus regulæ) Pirh. *cit. n.* 32. Azor. *cit. q.* 4. & alii passim. Proceditque responsio non solum in permutatione beneficiorum disparium & inæqualium; dum nimirum infirmus beneficium suum pingue permutat cum confanguineo vel amico suo, dante ei beneficium suum tenue (in quo casu manifesta fraus præsumitur, ut bene Paris. *loc. cit. n.* 20.) sed etiam dum beneficia permutata sunt æqualia. Paris. *n.* 21. Pirh. Azor. *ll. cit.* Tond. *n.* 7. Chok. *cit. n.* 24. citantes Rebuff. *hic gl.* 4. *n.* 5. Mand. *hic q.* 13. *per tot.* Achill. de Grass. *decis.* 376. *alias decis.* 1. *ad hanc reg.* contra Sarnens. seu Gomes. *hic q.* 19. cujus opinionem, quam magis æquam & benignam, ut ait Gonz. *gl.* 14. *n.* 57. sequitur idem Gonz. *ibid.* Tum quia regula indistinctè & indefinitè loquitur de resignatione facta permutationis causã. Paris. *n.* 22. Tond. *n.* 8. Pirh. Azor. *ll. cit.* Tum quia, ut dictum, saltem ratio altera regulæ de hæreditaria successione perseverat. Unde dato, Regulam hanc esse pænalem & odiosam, ut vult Gomes. adeoque strictè capiendam ad casum fraudis; certum tamen est, mentem legislatoris attendendam, quæ non solum fraudes excludere voluit, sed & providere, ne beneficia fiant hæreditaria. Chok. *loc. cit.* Quin & contingere posse fraudem in permutatione æqualium, seu æqualis valoris, ostendit Tond. *loc. cit. n.* 8. dum nimirum infirmi ad fraudandos Ordinarios, vel graduatos, quibus afficeretur beneficium ærotantis in eo mense, turno vel articulo, non autem beneficium compermutatum, quod forsân esset de jure patriciatus laicalis, facerent talem permutationem. Unde jam, si resignans ex causa permutationis, tam dum beneficia sunt inæqualia, quàm dum sunt paria, moriatur infra 20. dies, beneficium illius alteri tertio conferri poterit. Tond. *cit. n.* 6. neque per hoc alteri compermutanti superstiti causatur præjudicium; cum hic ipso jure remanebit in titulo & possessione pristina sui beneficii. Chok. *hic n.* 25.

5. Quartò, in resignationibus, quæ fiunt reservatis omnibus fructibus. Pirh. Azor. *ll. cit.* Paris. *n.* 25. citantes Sarn. *hic q.* 20. Mandos. *q.* 14. loquitur enim regula generaliter de resignatione; reservatio autem fructuum non immutat naturam resignationis, & in hoc quoque casu militat ratio successio- nis, quin & fraudis; cum reservatio fructuum sit quædam palliata fraus ad effectum circumvenien- di collatores & expectantes; imò major fraus fre- quentiórque fraudis occasio hinc considerari pote- rit; cum infirmus, qui dubius est, an supervivere, an mori debeat, faciliùs inducatur ad resignandum hoc modo, quàm purè & nullis fructibus retentis. Paris. *n.* 26. Idem est de resignatione facta sub re- servatione dimidiæ partis fructuum; cum urgeat ead- em ratio. Paris. *n.* 28. Azor. *loc. cit.* Pirh. *cit. n.* 32. lo- quens etiam de parte fructuum, abstrahendo à me- dietate illorum. Idem est ob eandem rationem de resignationibus factis sub pensione. Paris. *n.* 29. ci- tans Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 3. *in principio.*

6. Quintò, in resignationibus commendarum ob

clara regulæ verba: aut illius commenda cessent. Paris. *n.* 30. Tamen enim cessaret ratio fraudis; cum nec expectantes acceptare, nec collatores ordinari conferre valeant beneficia reservata, qualia sunt commenda; militat tamen altera ratio successio- nis. Paris. *n.* 34. Adeoque etiam, antequam dicta verba essent adjecta regulæ, tamen judicavit Rota in Pampelonensi, & in alia Veronensi. *Parochial.* habere locum hanc regulam etiam in resignationibus commendarum. Paris. *cit. n.* 34.

*Quaestio 338. Quenam collationes compre- hendantur sub hac regula, seu de qua colla- tione loquatur hæc regula, dum ait: quòd, quacunque auctoritate conferatur benefi- cium, collatio est nulla?*

1. Respondeo primò in genere: comprehenduntur collationes omnes, seu à quocunque factas, Paris. *ll. 12. q.* 13. *n.* 1. citans Sarn. Mandos. Rebuff. ac dicens esse communem.

2. Respondeo secundo in specie: comprehenduntur itaque collationes factas à capitulo. Paris. *cit. n.* 1. ci- tans Rebuff. *hic gl.* 12. *n.* 3. Item factas ab Episcopo, & quocunque inferiore collatore. Paris. & Rebuff. *ll. cit.* Item factas per Cardinales; ubi enim agitur de fraude vitanda, comprehenduntur & Cardina- les, ut dictum supra Paris. *cit. q.* 13. *n.* 2. Item factas per legatum Apostolicum. Paris. *n.* 3. citans Rebuff. *conf.* 72. *n.* 8. Unde jam, cum collationes in vim ta- lis resignationis factæ sint nullæ, non possunt habe- ri ratæ; sed oportet, ut de novo conferatur benefi- cium per mortem, seu tanquam vacans per obi- tum, ut recipiens illud sit tutus in foro fori, & in fo- ro poli. Paris. *loc. cit. n.* 6. citans Rebuff. *gl.* 13. *in fine.*

*Quaestio 339. An regula etiam loquatur de consensu resignataris; si ve an, si resignans in favorem reservatã sibi pensione moriatur post 20. dies à præstito suo consensu, ante ta- men 20. dies à præstito consensu resignataris, locum habeat regula, & beneficium vacet per obitum?*

Respondeo negativè. Paris. *ll. 12. q.* 11. *n.* 2. citans Rotam in Ferrariensi. de anno 1561. regula enim, ut patet, loquitur tantum de consensu resignantis. Unde dici potest hic casus omisus à regula, & subiectus juris communis dispositioni, & per conse- quens, etiam si resignans moriatur infra 20. dies à consensu præstito per resignatarium, modò sup- pervixerit 20. dies à consensu suo, beneficium vacat per resignationem. Paris. *loc. cit. n.* 4.

*Quaestio 340. An actus resignationis istius- modi maneat in suo robore, cum regula de hoc nihil dicat, sed solum irriterur ibi actus collationis vi talis resignationis factus, qui utique est distinctus ab actu resignationis?*

Respondeo annullari quoque ipsam resignatio- nem. Lott. *l.* 3. *q.* 15. *n.* 4. cum enim isti duo actus, nimirum actus collationis vi resignationis talis factus, & ipsa resignatio sint actus corespectivi, uno sublato seu irritato, sublatus censetur & alter, ut jam nihil referat, quòd in specie de resignatione dicat regula; cum enim resignatio sit necessaria ad inducendam ex ea vacationem, & successivam col- lationem, improbatã collatione, quæ est ultimus fi- nis